

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica III. post epiphaniam

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

*Evangelium Matth. 8. v. 1. - 13.*

### EXORDIUM.

**Q**uando cœlestis sponsus, Servator noster pietissimus imaginem sponsæ suæ, quæ Ecclesia in his terris est, nobis proponere vult, confert eam Paradiso, in quo varia aromata inveniuntur: Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, cum universis lignis Libani; post quæ exclamat: Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius. Cant. 4. v. 16.

Hic tria consideranda veniunt:

**1. Horti appellatio.** Vocat enim hic Christus sponsam suam hortum conclusum. In Principio Deus elegantem hortum plantaverat in Eden, in quo Protoplastos nostros posuerat, ut eum colerent: Verum lapsi, exterminati sunt ex hoc horto, qui deinde per generale diluvium devastatus est, ut hodie vestigia ejus non appareant: at tamen Deus alium hortum plantavit, nempe Ecclesiam Israëliticam, hæc vocatur h. l. hortus conclusus, quia gentiles in V. T. alienati fuerunt à Repub. Israël, Eph. 2. v. 12. Psal. 147. v. 19. Verum nunc hortus ille, hoc modo conclusus non est. Christus enim & delitiæ gentium est, Hagg. 2. v. 8. & medium parietem materiæ solvens utraque fecit unum Eph. 2. v. 14, ut gentes quo-

que nunc Deum super misericordia honorent, Rom. 15. v. 9. & qui ante vocabantur Loammi, non populus meus, Os. 1. v. 10. facti nunc sunt, genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Petr. 2. v. 9.

**2. Aquilonis & Austri vocatio.** Quemadmodum enim hi duo venti sibi contrarii sunt, Aquilo enim flat à Septentrione, & est frigidus & siccus, qui omnes plantas terret, ut languescant & intereant: Auster vero calidæ & humidæ qualitatis est, qui à Meridie veniens, bonam tempestatem affert: unde Servator: Cum videritis Austrum flantem, dicitis, quia æstus erit, & fit, Luc. 12. v. 55. Ita vult cœlestis sponsus, ut venti hi duo contrarii, viridarium spirituale Ecclesiæ perflare, & per externam tribulationem, & internum Spiritus sancti solatium, temperiem suavissimam in cordibus fidelium excitare debeant. Quod si enim Aquilo semper flaret, h. e. si Ecclesia semper persecutione infestaretur, multi in continua illa tribulatione scandalizarentur, Matth. 13. v. 21. & contra: Si Auster perpetuo flaret, hoc est, si Ecclesia semper pace & tranquillitate frueretur, multi tepidiores efficerentur, & refrigesceret caritas in cordibus eorum. Matth. 24. v. 12.

Unde

Unde Ecclesia: Wennes gieng nach des  
Fleisches Muth &c.

3. *Consequens operatio.* Perfla hortum  
meum, & fluent aromata illius.

Quando ventus hortum perflat, arbores  
quæ florent, imprimis aromaticæ, gratum  
odorem de se spirat. Ita, quando Deus cru-  
cem & adversitates immittit, & Spiritu  
suo duro orientali fideles suos affligit, Esa.  
27. v. 8. sed & grato Spiritus sancti afflatu  
& refrigerio infirmitatem nostram adju-  
vat, Rom. 8. v. 26. aromata fluere incipi-  
unt, fides, caritas, spes, patientia, & qui  
plures fructus Spiritus sancti sunt, Gal. 5.  
v. 22. Afflictio enim dat intellectum, Esa.  
28. v. 19.

Hujus rei duo egregia exempla habemus  
in prælecta Pericope, in leproso, qui  
Judæus, & Centurione qui Gentilis fuit,  
quomodo illos Deus mediante Austro ad  
Christum perduxerit, ut ejus auxilium im-  
ploraverint, & aromata fidei & orationis  
ita stillarint, ut Christus odore fragranti  
motus, precationi eorum annuerit.

Nos pro instituti ratione meditabimur

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

*Exegetis.*

Quemadmodum olim ignis cælitus  
delapsus in altari holocausti nun-  
quam extinctus est, Levit. 6. v. 12. Thy-  
miana in super compositum, opere unguen-  
tarii mistum diligenter & purum, adol-  
endum erat incensum super eo, suave fra-  
grans, manè & vesperi, Exod. 30. v. 7. 35.  
Ita verus Christianus, cujus cor templum

Spiritus sancti est, I. Cor. 3. v. 16. ante  
omnia de fide sollicitus sit oportet, & se-  
dulâ cultus divini visitatione semper li-  
gnum apponat, quo ignis hic in corde fo-  
veatur & alatur. Fides enim ex auditu  
est, Rom. 10. v. 17. Sed & oratio negligi  
non debet, quæ per Thymiana præfigu-  
rata fuit. Hinc David Psal. 141. v. 2.

Hæc duo, fides scilicet & precatio sem-  
per conjuncta sunt. Quod si fides sincera  
est & ardens, suffitum quoque orationis  
ad Deum mittet, & contra si suffitum ora-  
tionis Deo placere debeat, ex verâ & salvi-  
fica fide derivari eam oportet, quod enim  
non ex fide est, peccatum est, Rom. 12. 23.

In prælecto Evangelio geminum pro-  
stat Exemplum. A leproso orationem,  
à Centurione fidem discere possumus.

*Querela respicit*

I. *Populi dissipationem.* Miserrima enim  
tùm in Judæâ conditio erat. Super Cathe-  
dram Moïsis sedebant Scribæ & Pharisei,  
qui fermento falsæ suæ doctrinæ omnia  
corruperant, ut miseri Auditores omni  
salutari solatio destituerentur, Matth. 23.  
v. 2. Erant enim omnes cæci & cæcorum  
duces, Matth. 23. v. 14. quando verò cæcus  
cæcum ducit, ambo in foveam cadunt,  
Luc. 6. v. 19. idèd summo desiderio Christi  
audiendi flagrant, ubi ille docere incipit  
*ὡς ἰησοῦν ἔχων*, & non sicut Scribæ &  
Pharisei, Matth. 7. v. ult. ut eum certatim  
insequantur, cum jam concionem proli-  
xam in monte habuisset, nihil magis in vo-  
tis habentes, quàm ut plura de eo audi-  
rent. Ad eundem modum, ut Petrus ait:  
Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æ-  
ternæ habes, Joh. 6. v. 68.

Discimus hîc, quomodo Diabolus sæ-  
pè eò

k 3

pè eò

pè eò rem deducit, ut ii, qui verbum Dei alios docere debent, ipsi apostarent, & venena sua misceant, quò simpliciores à veritate avertantur. Neque enim sufficit, nudum Ecclesiæ titulum præ se ferre, sicuti Judæi cum Deo in gratiâ se opinabantur esse, quia ignem & caminum apud eos habebat, Esa. 31. v. 9. unde nunquam non in ore habebant: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, Jer. 7. v. 4. sed pura verbi divini concio, & usus Sacramentorum præcipuè observari debet. Ubi illa desunt, Ecclesia quoque Dei non est, licet illa externo splendore fulgeat. Nam testimonia tua fidelia sunt valde: Domus tua est habitatio sancta, Domine, Psal. 93. v. ult.

Quæ Ecclesiæ facies B. Lutheri temporibus fuit? Nonne sermo Dei pretiosus in diebus illis, 1 Sam. 3. v. 1. Pontifex Romanus indulgentiarum nundinatores emisit, qui simplicioribus persvaverunt, largius pecunias erogandas, quò citius è Purgatorio liberentur: quin & remissionem non præteritorum modò, sed & futurorum peccatorum pollicebantur, unde publicè versiculos hosce affixos fuisse legimus:

Si dederis marcas, nostrasq; impleveris  
arcas, (ris,

Culpâ solveris, quacunq; ligatus habe-  
Hic si largè des, in cœlo fit tua sedes.

Interea homunciones miseri, de Christo nihil sciebant, & erant sicut oves, pastorem non habentes, Matth. 6. v. 34. Unde non immeritò D. Fleckius B. Lutheri Theses, contra indulgentias publicè Wittebergæ affixas, legens, præ gaudio exultavit, dicens: Is profectò faciet, venit, venit, quem diu expectavimus.

Nobis Deo gratiæ agenda sunt, quod nos è tenebris istis Cimmetiis ereptos in veram viam reduxerit, ut jam non amplius simus sicut oves errantes, sed sciamus cui credamus, certi, quod depositum nostrum servare possit in diem illum, 2. Tim. 1. v. 12. Sed & oremus Deum, ut usque ad finem nos in verbo conservare, & ad posteros idem propagare dignetur. Melius enim est margaritis, & omne desiderabile ei non potest comparari, Prov. 8. v. 11.

II. *Morborum Congregationem*, quibus homo ab utero matris usq; in sepulchrum subjectus est. Hic leprosi & paralytici mentio fit. Uterque gravis morbus est. Leprosi in V. T. à commercio aliorum hominum exclusi erant, Levit. 13. v. 45. Paralysis quoque morbus molestissimus est, nervos enim & corporis membra constringit, ut ejusmodi homines movere se non possint, & juxtà dolores acerbissimos sentiant, sicut hic Centurio de servo suo ait, quod malè torqueatur, velut malefici, qui tormentis excarnificantur, & cruciatus similes infernalibus patiuntur, Luc. 16. v. 24.

Neque his saltem, sed multis aliis morbis subjecti sunt homines, adeò, ut numerari omnes nequeant. Mephiboseth claudicavit, 2. Sam. 4. v. 4. Tobias cæcus, Tob. 2. v. 11. Zacharias mutus, Luc. 1. v. 22. Lazarus plenus ulceribus fuit, Luc. 16. v. 27. Sunamitidis filiolus caput queritur, 2. Reg. 4. v. 19. Hiskias pestilentia laboravit, Esa. 38. v. 21. Socrus Petri febricitans, Matth. 8. v. 14. Paulo datus est stimulus carnis: Angelus Satanae, qui colaphizabat ipsum, 2. Cor. 12. v. 7. Sic adhuc hodie morborum tanta copia est, ut rectè dixerit B. Lutherus: Quot membra, tot mortes: quæ hominem tam-

tandiu arrodunt, donec prosternant.  
Hinc Siracides c. 40. v. 2. c. 10. v. 13.

Hæc mera verbera Diaboli sunt, quæ propter peccata sustinere cogimur. Quod si Protoplasti de ligno scientiæ boni & mali non comedissent, nunquam mortui, nec ullis morbis aut calamitatibus obnoxii fuissent. Verùm quamprimum peccatum in mundum intravit, mors quoque sequuta est, & in omnes homines pertransiit, quando quidem omnes peccaverunt, Roman. 5. v. 12. Hujus prænuncii varii morbi sunt, qui nobis, ut disponamus domui nostræ, annunciant, nempe *domnicorporali*, ut sic omnia dissidia, quæ post mortem obvenire possunt, præcaveamus: & *domni spirituali anima*, ut & illa sciat ubi diverti debeat, non in inferno, sed in cælo, ubi *nostrum* nostrum est, Phil. 3. v. 20. Quia enim constat nobis, mortem effugere non posse: Terra enim es, & in terram reverteris, Gen. 3. v. 19. eò magis laboremus necesse est, ut animam conserveamus, & sani simus in fide, in doctrinâ, in vita, in omnibus vitam nostram ad Christi regulas componentes. Quod si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, Rom. 8. v. 13.

III. *Judeorum reprobationem*, de qua Servator: Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

Per filios Regni intelliguntur Judæi, quos Deus præ omnibus gentibus in pæculium sibi elegerat, Rom. 9. v. 4. 5.

Sed propter fædam ingratitude, & nefanda peccata, quibus verbum Dei repellebant, indignos se judicantes æterna vitâ, Act. 13. v. 46. Servator templo eorum

exivit, Joh. 8. v. 59. & in Romanorum potestatem tradidit eos, qui urbem & templum eorum vastarunt, illosque partim trucidarunt, partim captivos abduxerunt, & in omnem terram disperferunt, tanquam populum vastatum & direptum, sicut adhuc hodie in execrationem, & in stuporem, & in maledictum, & in opprobriû in oculis nostris apparent, Jer. 42. v. 18.

Hoc gentilibus in emolumentum cessit, qui in locum Judæorum à Deo adoptati sunt, ut jam non amplius hospites & advenæ, ut antea: sed cives Sanctorum & domestici Dei sint, Eph. 2. v. 19.

Hæc subitanea metamorphosis fuit, quæ miserimis nobis Japhitis & gentilibus accidit. Sed non ex parte Dei, qui non mutatur, Mal. 3. v. 6. & custodit veritatem in seculum, Psal. 146. v. 7. sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio ejus, Roman. 11. v. 29. sed ex parte nostrum. Non enim simpliciter cum Ecclesia suâ huic aut illi populo adstrictus est: sed quisquis Deum timet, & operatur justitiam, acceptus est illi, Act. 10. v. 35. sive Judæus sit, sive Græcus, Gal. 3. v. 28.

Quando igitur homines ab eo deficient, fœdus frangentes, quod cum illis fecerit, dimittit illos, & ad aliam gentem convertit se, meliores fructus facientem, Matth. 21. v. 43.

Ita factum est cum vocatione gentium, Judæos enim, qui antea Dei populus fuerunt, reprobavit ob incredulitatem suam, Rom. 11. v. 20. Ethnicos verò qui ante Dei populus non erant, in locum eorum elegit, & ordinavit, ut qui invocaverit nomen Domini, salvus fiat, Joël. 2. v. 32. Non enim simpliciter Judæi à gratiâ rejecti

rejeſti ſunt : & gentiles non ſimpliciter electi ſunt, ut non poſſent reprobari : ſed totum rei momentum verſatur in fide, quam oculi Dei vel maximè reſpiciunt, Jer. 5. v. 3. Eſt enim Regula univerſalis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnatur, Marc. 16. v. 16.

Nos miſeros Japhitas & gentiles Deo gratias agere decet, quod nobis gratiam hanc exhibuerit, & probè caveamus, ne more Ethnico peccatis indulgeamus, ſed prout vocationem noſtram decet, ambulemus. Si quis enim in Chriſto, nova creatura eſt, 2. Cor. 5. v. 17.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fuit

I. *Ex prompto auxilio*. Leproſus ait: Domine, ſi vis, potes me mundare: & extendens Jeſus manum, tetigit eum, dicens: volo, mundare. Centurio ſimiliter miſeriam ſuam ipſi exponit, inquit: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Cui Dominus non minus promptum ſe exhibet, ajens: Ego veniam, & curabo eum. Et ubi Centurio replicat, non ſe dignum eſſe, ut intret ſub tectum ſuum, ſed ſi dicat modò verbum unum, ſanatum iri puerum ſuum: Chriſtus fidem ejus admirans dicit: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illà hora.

Hic concurrit

I. *Prova Voluntatis*. Volo, inquit, ad leproſum, & ad Centurionem, Ego veniam. Hoc magnum ſolatiū eſt. Nam adhuc hodie Servator multò promptior eſt ad dandū, quàm nos ad accipiendum. Vide *El. 65, 24.*

Rehabeam olim ſubditis ſuis ſupplican-  
tibus nimis durum reſponſum dedit, 1.  
Reg. 12. v. 10. 11.

Sed ita Chriſtus in nos affectus non eſt. Verùm orantibus nobis reſpondet: Volo. Propè enim eſt Dominus omnibus invocantibus ſe, *Pſal. 145. v. 18.* id ſolatiū noſtrum ſit in omnibus calamitatibus, *Pſal. 13. v. ult.*

2. *Divina facultas*. Quamprimùm enim Servator manum ſuam extendit, & tangit leproſum, conſeſtim mandata eſt lepra ejus. Hoc ſupernaturale miraculum fuit. Nullus enim Medicorum tantà arte poluit, ut morbum hunc curare potuerit. Id ſolius Dei eſt, qui occidere & vivificare poteſt, 2. Reg. 5. v. 7. Conſidamus igitur Servatori noſtro, nec deſperemus, ſi humanum auxilium deficiat, mutatio enim eſt dexteræ ejus, *Pſal. 77. v. 11. Pſal. 10. v. 17. Pſal. 91. v. ult.*

II. *Ex fideli conſilio*, quod Chriſtus leproſo dat, ait enim: Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moſes, in teſtimonium illis.

In V. T. Sacerdotibus injunctum erat, ut lepram cognoſcerent, *Levit. 13. v. 2. ſeq.* Quando igitur leproſi mundi renunciabantur, Sacrificium illi offerre tenebantur, unde Sacerdotes partem capiebant, quam Deus pro ſalario ipſis deputaverat, *Levit. 14. v. 10. ſeqq.*

Eò reſpectat Chriſtus, quando hunc leproſum ad Sacerdotem mittit. Imprimis miraculo hoc ipſis oſtendere vult, quod nunc tempus imminet, quo Magiſter ſalvationum, ut Meſſias appellatur, advenit, *Eſa. 64. v. 1.* ne aliquando excuſationē haberent, de ignorantia ſuâ, *Joh. 15. 22.*  
Ex

Ex hoc apparet, quod non modo in Christo habeamus ejusmodi Medicum, qui omnes nostras infirmitates sanare potest, Psal. 103. v. 3. sed præscribit quoque nobis in verbo suo varias vitæ Regulas, de tuenda valetudine, imprimis vult, ut Sacerdotinos ostendamus, h. e. ad ædem Dei pergamus, reddentes, quæcunque vovimus, salutem Domini, Jer. 2. v. 10.

Hoc consilium salutare est: quod si fecerimus, nunquam pœnitebit nos, sacrificans enim laudem, honorificabit me, Psal. 50. v. ult.

III. Ex Centurionis encomio, quo eum Christus ornat, dicens: Amen dico vobis: non inveni tantam fidem in Israel. Id ad laudem ejus prædicatur, in toto Christiano orbe, usque ad diem novissimum. Tale nomen melius est, quàm divitiarum multarum, Prov. 22. v. 1. Sir. 41. v. 15. 16.

Simili laude à Spiritu sancto commendantur Noë, Gen. 6. v. 9. Jobus, c. 1. v. 1. Tobias, Tob. 7. v. 7. Horum laus adhuc hodie durat, & durabit, usque ad finem seculi. Tale nomen melius est, quàm unguenta pretiosa, Eccl. 7. v. 2.

Adhuc hodie nihil gloriosius est, quàm si juvenes laudem Josephi, Gen. 39. v. 9. Matronarum laudem Judith. c. 8. v. 7. Virgines laudem B. Virginis Mariæ, Luc. 1. v. 34. Conjuges laudem Zachariæ venentur & adipiscantur, Luc. 1. v. 6.

De Maximiliano Imperatore refertur, quod tumultum Eberhardi Barbatæ Ducis Würtembergici lacrymis humectaverit, eumque hoc encomio mactaverit: Hic situs est sapientissimus Imperii Princeps.

Hæc præclara laus fuit, ad quam nos omnes contendere debemus, ita ut hone-

stæ vitæ studeamus, potissimum verò fidem & bonam conscientiam servemus, 1. Tim. 1. v. 19. Hoc optimum medium est, quo bonum nomen assequi possumus. Pulcherrima sepultura pietas, dixit Basiliius & Petrarca ait: Virtutem cole dum vivis, & famam habebis in sepulchro. In memoria æternâ erit justus, Psal. 112. v. 6.

Die extremo Christus ipse coram Patre & Angelis, pius ejusmodi homines laudibus ornabit, iisque coronam vitæ imponet, quam repromisit diligentibus se, Jac. 1. v. 12.

### De Tertio.

**S**uperest *Cautela*, quæ tribus includitur Regulis, quarum

1. *Christum sequere.* Exemplo est populus in Evangelio, de quo Evangelista: Cum descendisset Jesus de monte, secuta sunt eum turba multarum. In scholâ Nazarenâ Servator egregiam concionem habuerat, quâ tamen parùm gratiæ invenit, verum populares ejus ejecerunt illum extrâ civitatem, de rupe eum præcipitaturi, Luc. 4. v. 16. 29. Ided aliorum se movebat, docens populum, qui eum ubique sequebatur, nec concionibus ejus exsaturari poterat.

Hic montem ascendit, habetque prolixam concionem, Matth. 5. 6. & 7. finitâ concione descendit de monte, eumque turba tâto fervore insequitur, ut cibi quoque & potus obliviscantur, nobis in exemplum: ut & nos cultum Dei studiosè frequentemus, & nullâ re eo nos abstrahi patiamur. Sicut enim tùm Dominus prædicavit, ita adhuc hodie per Ministros suos prædicat. Qui vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16.

Montes conscendere grave est, nec omnibus commodum. Sed hanc molestiam turba hæc non refugit, modò occasionem habeat, concionis Dominicæ audiendæ.

Hodie hic fervor ferè refriguit: sed cum multorum damno. Unum enim est necessarium, Luc. 10. v. 42. Nimirum Regnum Dei ante omnia quærendum est, Matth. 6. v. 33.

Hæc turba ad finem concioni Christi, quamvis prolixiori, interfuit: Hodie multi tædio afficiuntur, si conciones ultra consuetum terminum extendantur. Verùm malum hoc ipsum est indicium: Auris enim bona audit cum omni concupiscentia sapientiam, Sir. 3. v. 31. lætaturque, sicut qui invenit spolia multa, Psalm. 119. v. 162. quem verò ejus nausea capit, ut Israelitas Mannæ, Num. 21. v. 5. ipse eandem cum ingratis convivis sententiam audiet: Dico, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam, Luc. 14. v. 24.

Imprimis verò hic observandum, quod Christus non modò turbæ prædicat, sed & postea ipsam præcedit, & illa sequitur eum. Ita & verbi Præcones exemplum gregi se præbeant, in Sanctis operibus, ne cum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur, 1. Cor. 9. v. ult. Nam

Turpe est Doctore, cum culpa redarguit ipsum.

Qui prædicat, non furandum, furaris, Rom. 2. v. 21. quo ipso Ecclesia scandalizatur & ministerium despicitur: sicut tempore Eli, propter filios ejus degeneres Hophni & Pineas cultus Dei planè decrescebat, 1. Sam. 2. v. 17.

Auditores verò ovium naturam indu-

entes, pastorem suum verbi & vitæ puritate ipsos præeuntem, sequantur. Imitatores mei estote, inquit Paulus, & observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis nos pro exemplari, Phil. 3. v. 17. Id quod turba hæc probè notavit, dum vestigia Christi pressa pede secuta est. Nos adhuc hodie vestigia ejus videmus in verbo ejus, quæ idèd nobis reliquit, ut insistamus iis, 1. Petr. 2. v. 21. Non igitur, neque ad dextram, neque ad sinistram declinemus, Esa. 30. v. 21. Qui enim me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ, ait ipse Servator, Joh. 3. v. 12.

II. *Humilitatis stude.* Id nos Christus docere voluit, quando ad leprosum ait: Vide, nemini dixeris. Quo ipso non prohibuit ei publicam fidei professionem: Cor de enim creditur ad justitiam, ore confessio fit ad salutem, Rom. 10. v. 20. Multò minus gratiarum actionem Deo debitam interdixit ei, hanc enim mandavit Deus, Psalm. 50. v. 15. sed exemplum humilitatis eo nobis proponere voluit, ne nostram, sed Dei gloriam in omnibus quæramus, dicentes: Non nobis Domine, non nobis, Psalm. 115. v. 1. Idem inculcat Paulus, inquiens: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, Phil. 2. v. 7. Quod si hoc exemplum secuti, humiliemur sub potenti manu Dei, ille nos exaltabit in tempore visitationis, 1. Petr. 5. v. 6.

Leprosus porrò voluntatem suam Dei voluntati modèstè subjicit, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Idem & nos faciamus. Non enim Deus vult sibi præscribi tempus & modum in juvando: idèd unice in voluntate ejus acquiescamus, Domine fiat voluntas tua, sicut in oratione Do-

Dominicâ petimus, Matth. 6. v. 9. Voluntas ejus sit pro imperio. Si sanos nos esse velit, placeat nobis: sin minus, neque id displiceat, & laudemus Dominum. Talis modestia Deo pergrata est, quâ moveretur, ut nobis plura largiatur, quam oravimus, ut exemplum Salomonis probat, 1. Reg. 3. v. 12. 13.

Tandem quoque hanc humilitatem Centurio nos docet, quando indignitatem suam agnoscens, dicit: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus.

Inveniuntur homines, qui quando ad honores adspirant, non nisi alta sapiunt, & alios alto supercilio despiciunt.

Verum insignis stultitia hæc est, quam veri Christiani studiosè declinare, & ex adverso humilitati studere debent. Hæc ejusmodi virtus est, quâ tota SS. Trinitas delectatur.

Deus Pater, quamvis altissimus est, tamen humilia respicit in cælo & in terra, Psal. 113. v. 5. 6.

Deus Filius formam servi induit, Phil. 2. v. 17. & proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ, Hebr. 12. v. 2. propterea nos ad similem humilitatem hortatur, Matth. 11. v. 29.

Deus Spiritus sanctus libenter habitat cum humilibus, unde & humilitas fructibus ejus annumeratur, Gal. 5. v. 22.

Quod si igitur societatem habituri sumus cum Patre & Filio, 1. Joh. 3. v. 3. nos quoque humilitati studeamus oportet. Deus enim resistit superbis, humilibus vero dat gratiam, 1. Petr. 5. v. 5.

III. Majoribus te subijce. Id in prælecto Evangelio trifariam nobis indicatur, juxta tres Hierarchias, quas Deus ordinavit.

Leprosus Sacerdoti se ostendere jubetur, hæc obedientia est, quæ Ministerio S. debetur.

Centurio exemplo suo nos docet, quomodo Magistratui subiecti esse debeamus.

Servus vero Centurionis omnibus, servis, famulis, & ancillis exemplum præber, quomodo heris suis & Dominabus simili fide inservire debeant. Unum æque necessarium est, atque alterum.

De verbi Ministerio ait Paulus: Obedite Præpositis vestris, &c. Hebr. 13. v. 17.

Certè non expedit. Pro Christo enim legatione fungimur, 2. Cor. 5. v. 20. Sicut itaque terrenus Princeps indignè fert, si legati ejus lædantur: sic nec Deus idem ferre potest. Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit, Zach. 2. v. 8.

De obedientiâ, quæ Magistratui debetur, Paulus dicit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, Rom. 13. v. 12. Hoc ipsa æquitas requirit, sunt enim patres patriæ, Gen. 41. v. 13. quibus ut liberi parentibus subiecti esse tenemur, Sir. 3. v. 2. in omnibus, quæ Deo non adverfantur, Act. 5. v. 29.

Dicimus in Proverbio:

Arbor honoretur, cujus nos umbra tuerur:

Atqui ejusmodi arbor umbrosa est Magistratus, Dan. 4. v. 17. Ingratitudo ergò esset, debitam iisdem reverentiam denegare.

Scaliger scitè ait: Is spuit in se, qui spuit adversus Olympum.

Ira qui Magistratui repugnat, non modò

in Deum peccat, sed & sibi ipsi multum incommodat, & grave erit illi, adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5.

Tandem de famulatio ait Apostolus: Servi, obedite per omnia Dominis, Col. 3. v. 22. additque in fine, *timentes Dominum*: Timor enim Domini expellit peccatum, Sir. 1. v. 27.

Quando igitur Christiani servientes Deum ante oculos habent, recordantur hoc ipso, quod à Deo in hoc statu positi sint, videnturque sibi Deo servire, non hominibus, Eph. 6. v. 7.

Meminerunt, quod nihil sine mercede relinquat, sciuntque, si fideles inveniuntur, aliquando laudem sibi fore à Domino, 1. Cor. 4. v. 5.

Cogitant, Deum severum judicem esse, quinullam personam respiciat, sed unicuique pro merito retribuatur, sive sit servus, sive liber, Eph. 6. v. 8.

Sciunt coram oculis Dei omnia nuda & intimè patentia esse, Hebr. 4. vers. 13.

esse eos lucidiores Sole, & videre omnia, quæ homines agunt, etiam in occultissimis angulis, Sir. 23. v. 27. 28.

Hoc si Gehasi perpendisset, non propter infidelitatem leprâ percussus fuisset, quæ ipsi & omnibus ejus posteris adhæsit, 2. Reg. 5. v. 27.

Adhuc hodie nihil adeò occultè peragi potest, quod non fiat manifestum. Es wird nichts so klein gesponnen / es kommt endlich an die Sonnen.

Ideo servientes ita Dominis suis inserviant, ut ejus gloriam apud homines consequantur: sic & Dominus eos aliquando super multa constituet, Matth. 25. v. 23. ut & ipsi suæ domui suo tempore provideant, uti Jacob, Gen. 30. v. 30. & ex servis Domini fiant, uti Joseph, Genes. 41. v. 43. Verè enim gloriam præcedit humilitas, Prov. 15. v. 33. Beatus, qui probatus inveniatur, accipiet enim coronam vitæ, Jac. 1. v. 12.

Quam Jesus ex gratiâ nobis largiatur, Amen.

## DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

*Evangelium Matth. 8. v. 23 -- 27.*

EXORDIUM.

**C**Um Simon Petrus, & Thomas, qui vocatur Didymus, & Nathanaël, qui erat à Canâ Galileæ, & filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo per noctem totam in mari navigassent, & frustra laborassent: steterit Jesus, mane facto in litora; non tamè

cognoverunt discipuli, quia Jesus est: Ille monstravit ipsis, quorum rete mitterent, nempe in dextram navigii. Hoc cum fecissent, ceperunt centum quinquaginta tres magnos pisces, ut non valerent rete trahere præ multitudinem piscium, Joh. 21. v. 2.

Hoc allegoricè exponemus.

Nos